

The Electronic *Manipulus florum*  
[www.manipulusflorum.com](http://www.manipulusflorum.com)

Gloria eterna ar  
cum fonte primo

Futura uita ubi creditur esse beate sempiterna, sempiterne beata;  
ubi est certa securitas, secura tranquillitas,  
tranquilla iocunditas, felix eternitas, eterna felicitas;  
ubi est amor perfectus, timor nullus, dies eternus,  
alacer motus et unus omnium spiritus.

Prosper de uita contemplatiua.

Ergo futura vita creditur beate sempiterna, et sempiterne beata,  
ubi est certa securitas, secura tranquillitas,  
tranquilla jucunditas, felix aeternitas, aeterna felicitas;  
ubi est amor perfectus, timor nullus, dies aeternus,  
alacer motus, et unus omnium spiritus de contemplatione Dei sui,  
ac de sua cum illo permansione securus; ubi ipsa civitas,  
quae est angelorum sanctorum et hominum congregatio beata,  
meritis fulgentibus micat, et aeterna salus exuberat, veritas regnat;  
ubi nec fallit quisque, nec fallitur; unde nullus ejicitur beatus,  
et quo nullus miser admittitur.

Iulianus Pomerius, *De uita contemplatiua*, 1.2 (PL 59, col.420A-B).